

3.
2
M. DANIELIS
STAHLII

Hamelburgensis Franci,

TRACTATUS
LOGICUS

Continens


SOPHISMATUM,

Seu

SYLLOGISMORUM

in forma vitiosorum reso-

lutionem.



FRANCOFVRTI,

M D C L II.



CUM DEO.

PROOEMIUM.


Duo potissimum ad bonum Logicum & artificiosum Disputatorem requiruntur.

1. Ut ipse rectè argumentetur, & syllogismos suos, quos profert, legitimè & secundum Regulas syllogisticas formet.

2. Ut in consequentias & formas Syllogismorum ab aliis, qui non rarò Sophistas agunt, contra ipsum allatorum inquirat, ne ab iis decipiatur, studiosè animadvertens.

Quod posterius ut eò melius præstari possit, opus est via & modo aliquo, qui nos in legitimam Sophismatum resolutionem deducat. Constitui-
mus itaque Sophismata seu Syllogismos in forma
vinosos per omnes figuras, & plerosq; earum mo-
dos, in quibus occurrunt, Deo adjuvante propo-
nere, & quâ fieri poterit perspicuitate enodare,
operamque dare, ut præcepta Logices hætenus ex
Compendio alumnis nostris tradita simul repe-
rantur, hisce Exercitationibus illustrentur & ad
usum transferantur. DEUS piis conatibus
ad sui Nominis gloriam clemen-
ter adsit.

CAP.



C A P. I.

De Syllogismis vitiosis prima Figura in
BARBARA.

SOPHISMA I.

OMne animal si est risibile, est homo.
Omne brutum est animal, si est risi-
bile. E.

Omne brutum est homo.

Solutio.

Major est propositio simplex de prædi-
cato conditionato, & conditio vel restri-
ctio illa; Si est risibile; pars Prædicati
est tam in Majore, quam in Minore, a-
deoq; in Syllogismo sunt quinque ter-
mini: 1. Animal. 2. Homo si est risibi-
le. 3. Brutum. 4. Animal si est risibile.
5. Homo.

Quod autem illa conditio. Si est ri-
sibile, prædicati, non verò subjecti pars
sit probatur. 1. inde, quia est restrictio for-
malis & exprimit inhærentiam prædicati
seu principalis partis cum subjecto. Om-
nis enim restrictio seu limitatio formalis
est pars prædicati. 2. probatur ex Conver-
sione, quia major præpositio rectè con-
vertitur in hanc. A 2 Quod.

Sophismatum.

Quoddam, quod, si est risibile, homo
est, est animal.

Non autem in hanc :

Quidam homo est animal, si est risibile.

Quam vis etiam hæc vera sit. Quod au-
tem in istam, nõ in hanc conferti debeat,
quia alias etiam hæc :

Nullum animal, si dormit, vigilat.

In qua similis conditio & restrictio ex-
stat, in istam deberet converti: Nihil
quod vigilat, est animal, si dormit: quod
falsum est, quia hæc convertens est falsa.
Consequentia est manifesta, quia eadem
est ratio: In hanc igitur legitime propo-
sitis convertitur: nihil, quod si dormit,
vigilat, est animal: Corrigitur igitur pro-
latum sophisma ita:

Omne animal, si est risibile, est homo.

Omne brutum est animal. E.

Omne brutum, si est risibile, est homo.

Qui Syllogismus est legitimus, ejusq;
Conclusio vera. Eodem modum labo-
rant, eodumque corriguntur hæc Sophis-
mata:

Omne corpus si est quantum est mate-
riatum.

Omnis

Resolutio

Omnis Angelus est corpus, si est quant^o E.

Omnis Angelus est materiatus.

Omnis homo, antequam fit doctus, est rudis.

Omnis Doctor cujusque facultatis est homo antequam fit doctus. E

Omnis doctor cujusque facultatis est rudis. SOPHISMA II.

Solus homo est Medicus.

Hic Coridon est homo. E.

Hic Coridon est Medicus.

Solutio.

1. Major non est Universalis, adeoque in 1. fig. Syllogismus est vitiosus.

2. Nulla Exclusiva exclusi Subjecti affirmativa idonea est ad hoc, ut officio Majoris in prima & secunda figura per se fungatur. Vid. Horn. de Exponibil.

SOPHISMA III.

Omne verbum adsignificat tempus.

Gigni & generari, quando de filio Dei dicuntur, sunt verba.

E. Gigni & generari, quando de filio DEI dicuntur adsignificant tempus, & per consequens, generatio filii Dei non est æterna.

Sophismatum.

Solutio.

Sunt in hoc Sophismate s. termini,
Nam in Minore restrictio illa : Quando
de filio DEI dicuntur, quia est restrictio
formalis, & in hærentiam alicujus partis
prædicati cum subjecti, exprimit, non
est pars subjecti, sed prædicati, & sic subje-
ctum Majoris & prædicatum Minoris sūt
duo diversissimi termini : et similiter ea-
dem verba sunt pars prædicati Conclu-
sionis, nec tamen prædicati Majoris, cum
tamen in Syllogismis i. Figuræ prædicatū
Majoris & Prædicatum Conclusionis u-
nus sunt terminus scilicet Syllogisticus.
Non enim hîc solliciti sumus de terminis
propositionis, subjecto nimirum & præ-
dicato.

Obiectio.

At qui ex verbo DEI contra adversari-
os est disputandum, ex eoq; isti sunt refu-
tandi & convincendi, non ex Logica.

Responsio.

Aliud est adversarios refutare ex Lo-
gica: aliud illos refutare Logicè, seu re-
futare à Logico. Illud concernit materi-
am Disputationis, hoc autem formam,
quæ ex sola Logica peti, deq; ea ex hac
sola

Resolutio.

sola judicari potest ac debet. Vid. Horn.
de processu disput. c. 1. §. 2.

SOPHISMA IV.

Rationale est Differentia.

Omnis homo est rationalis. E.

Omnis homo est differentia.

Solutio.

Continentur in adducto Sophismate
4. termini, quia RATIONALE in Majore
supponitur simpliciter, & accipitur præ-
cisè non pro hoc vel illo Rationali: In Mi-
nore verò supponitur personaliter pro
aliquo ratione seu rationalitatem haben-
te. Eodem modo solvuntur sequentia
sophismata:

Animal est Genus.

Johannes est animal. E.

Johannes est Genus. * * *

Homo est Species.

Petrus est Homo. E.

Petrus est Species.

*** Album est Accidens Prædicabile.

Paries est albus. E.

Paries est accidens prædicabile.

*** Animal dividitur in hominem &
brutum.

A 4

Omnis

Sophismatum

Omnis homo est animal. E.

Omnis homo dividitur in hominem & brutum. SOPHISMA V.

Qui dicit te esse animal, verum dicit:

Qui dicit te esse equum, dicit te esse animal. E.

Qui dicit te esse equum, verum dicit.

Solutio.

Sunt 4 termini in hoc Sophismate: quia animal in Majore sumitur confusè & indeterminate, in Minore v. sumitur determinate pro certo aliquo animali. Falsa enim esset Minor hoc sensu.

Qui dicit te esse equum, dicit te esse animal confusè sumptum, seu indeterminatum & non certum aliquod animal; sed potius sumitur determinatè, seu pro certo ac determinato animali.

Qui enim dicit te esse certum & determinatum quoddam animal, nempe animal hinnibile. Eodem modo peccant & solvuntur sequentia.

Qui dicit te esse Candidatum, is verum dicit.

Qui dicit te esse indoctum Candidatum, is dicit te esse Candidatum. E.

Qui dicit te esse indoctum Candidatum, is verum dicit. Qui

Sophismatum.

*Qui dicit esse Angelos, verum dicit.

Qui dicit bonos Angelos esse malos
angelos, is dicit esse Angelos.

E. Qui dicit bonos Angelos esse malos
Angelos; verum dicit.

SOPHISMA VI.

Omne Ens est objectum Logicae.

Coelum est Ens. E.

Coelum est objectum Logicae.

Solutio.

Sunt 4. termini in hoc sophismate:
subjectum enim Majoris est omne Ens,
praedicatum Minoris verò est Ens, Notan-
dum igitur Majorem hujus sophismatis
non esse universalem, sed singularem.
Particula enim omnis ibi Collectivè su-
mitur, id est, notat collectionem vel aggre-
gationem omnium inferiorum vel deno-
minatorum illius termini, cui praefigitur:
Quomodo illa vox Omnis in Enunciati-
one sumpta, nunquam reddit illam uni-
versalem. Nihilominus tamen Major hu-
jus Syllogismi quadrat ad dictum de Omni,
si signum ita praefigitur: Quicquid est o-
mne Ens est Objectum Logicae, seu omne
quod est omne Ens objectum Logicae.

Resolutio.

SOPHISMA VII.

Quicquid fit ex nihilo, illud fit:

Sed nihil fit ex Nihilo. E.

Nihil fit.

Solutio.

Vox Nihil accipitur dupliciter: 1. idem valet ac nullum Ens seu nulla res, ut: nihil est simul album & nigrum, id est, nulla res est simul alba & nigra. 2. Est idem ac non Ens, ut quando dicitur Chimæra est nihil, id est, non Ens. Si igitur vox Nihil ut est subjectum Minoris accipitur prout idem est ac nulla res, vitium est in forma, est enim tunc Minoris sensus: Nulla res fit ex nihilo, & tunc Minor est negativa. Si autem vox Nihil in Minore accipitur, prout idem est ac non Ens, Minor non est Negativa & sic vitium in forma nullum est. Est enim tunc sensus minoris: Non Ens fit ex Nihilo, quæ Propositio falsa est, si non Ens propriè accipiatur. E. g. Chimæra non fit.

SOPHISMA IIX.

Quicquid fit est aliquid.

Ex nihilo, nihil fit. E.

Nihil est aliquid.

Solutio

Sophismatum.

Solutio.

Vox Nihil in Casu recto est subjectum Minoris, reliqua verba (ex nihilo fit) exclusâ copulâ quæ in verbo Fit latet, & pars prædicati non est, constituunt prædicatum. Respondetur ergo ex precedentis Sophismatis solutione. Vox nihil ut est subjectum Minoris, aut significat non-Ens, & tunc Minor est falsa: Non Ens enim planè non fit: Ergo neq; fit ex nihilo aut non, Ente. Aut idem significat ac nulla res, & tunc Minor iterum est negativa, quia sensus ejus est hic: Nulla res fit ex nihilo. **SOPHISMA IX.**

Qui tantùm est Immensus, non est omnipotens.

Deus tantùm est immensus. E.

Deus non est omnipotens.

Solutio.

Signum Exclusivum tantùm in Majore pertinet ad subj. id est, excludit alia subjecta à participatione prædicati, in Minore autem pertinet ad Prædicatum, id est, excludit alia prædicata à participatione, subjecti. Sensus igitur Minoris est. Deus tantùm est immensus, id est, huic subjecto
Deus

Resolutio.

Deus non potest tribui aliud prædicatum quam $\tau\delta$ immensum, & sic minor est falsa. Sunt igitur 4. termini in adducto Sophismate, quod ita apparet.

Quicumque est tantum immensus, ut nullum aliud sic immensum, is non est Omnipotens: sed Deus tantum est immensus, id est, Deus ita est immensus, ut nullum aliud attributum quam immensum, Deo competat, & tribui possit, E. Deus non est omnipotens.

SOPHISMA X.

Omne rationale vivit.

Solus homo est rationelis, E.

Solus homo vivit.

Solutio.

Vitium hujus Sophismatis in eo latet, quod minor illius est virtualiter negativa, adeoq; in 1. fig. nihil sequitur. Notandum igitur est duplicem esse negationem: Formalem & virtuales, Formalis est, quando particula negans Non. 1. proximè ante copulam ponitur. 2. signo, seu toti Enunciationi quæ signum habet præfigitur. 3. signo ipsi includitur. Vid. Log. Horn. p. 70. Virtualis est quando Enunciatio ha-

bet

Sophismatum.

bet virtutem negandi & implicite negativa est ob terminos Exclusivos, Exceptivos, aliosq; qui vim negandi important, prædicatumq; certo modo & implicite à subjecto dividunt. Tales Enunciationes negativæ sunt omnes Exclusive exclusi subjecti, adeoq; etiam Minor nostri Sophismatis, item hæc: Impossibile est hominem naturaliter vivere sine cibo ac potu. Pauci sunt Electi, id est, nō multi. Unus est Deus, id est, non sunt plures Dii. Unicus fons est in domo, id est, non duo, non plures, & sic fiunt negationes Virtuales.

SOPHISMA XI.

Pro quibuscunq; Christus intercessit & oravit, pro illis tantum satisfecit: Atqui pro solis ovibus seu Electis Christus intercessit oravit. Ergo pro solis ovibus seu Electis Christus tantum satisfecit.

Solutio.

1. Quid ad hoc Sophisma sit respondendum, patet ex solutione præcedentis, scilicet formaliter sive ratione formæ esse purè negativum.

2. Dicendum in Conclusionem hujus syllogismi unam ex his particulis Solis & tantum

Resolutio.

tantum superflue & incongrue poni. Ergo vel in Majore particula tantum vel in Minore particula Solis debuisset omitti, & deinceps etiam una saltem ex iis, non vero ambæ in Conclusionem debuissent poni & repeti. Si in minore particula Solis omitteretur, Syllogismus ratione formæ esset bonus & tunc ad materiam & quidem ad majorem esset respondendum. Si vero in Majore vox tantum omitteretur, Syllogismus cum Sophismate x, prorsus idem esset & nullius precii.

Obiectio.

Calviniani dicunt: Contradictoriam Minoris in alato Syllogismo: Christus pro solis ovibus non oravit: esse formaliter negantem.

Responsio.

Negatur dictas illas exclusivas revera esse contradictorias. Ut enim Exclusiva exclusi subjecti formaliter proprie negativa sit, adeoq; illi formaliter affirmativæ contradictoriæ opponatur, requiritur ut etiam signum exclusivum in eo negetur, adeoq; negatio ipsi præponatur, quod h. non fit. Instituitur ergo inter Exclusi-

vas

Sophismatum.

vas Exclusi subjecti contradictio h. m.
Christus pro solis ovibus seu Electis in-
tercessit & oravit: Christus non pro solis
ovibus seu Electis intercessit & oravit.

Item.

Sola fides justificat

Non sola fides justificat.

*Tantum Electi reconciliantur Deo:

Non tantum Electi recōciliantur Deo.

SOPHISMA XII.

Omnis hominis est esse pium.

Hic liber est hominis. E.

Hujus libri est esse pium.

Solutio.

Propositiones adducti Syllogismi non
sunt verè Logicæ, quia non constant ex
Nomine & verbo Logico adeoq; ineptæ
ad formam syllogisticam sustinendam.
Optimum igitur & utilissimum est Aristo-
telis præceptum, quo jubet in resolutio-
ne atq; examine Syllogismorum revoca-
re propositiones ex obliquis ad propo-
sitiones ex rectis, non mutato sensu propo-
sitionum. Quod si h. l. fiat, patet in addu-
cto Sophismate 4. esse terminos.

Quicquid est homo illius est esse pium.

Hic

Resolutio.

Hic liber est res quæ est hominis. E.

Hic liber est ejus, cujus est esse pium.

Eodem modo solventur sequentia.

Omnis viri boni est sapienter agere.

Digitus est viri boni. E.

Digitus est sapienter agere.

*Omnis animalis proprius effectus est gustare.

Aures sunt animalis. E.

Aurium proprius Effectus est gustare.

*Cujusq; regis est, distribuere magistrat^o.

Parasitus est regis. E.

Parasiti est distribuere Magistratus.

SOPHISMA XIII.

Qui, dum loquitur, Non-Ens loquitur, is nihil loquitur.

Petr^o dum loquitur Non-Ens, loquitur.

E. Petrus dum loquitur, nihil loquitur.

Solutio.

Si in Majore sumitur Nihil pro Non-Ente, tunc Major & conclusio est vera; Si autem Nihil sumitur pro nulla re. Major est falsa. Nam qui Non-Ens loquitur, utiq; aliquid loquitur, nempe aliquam vocem seu terminum. Nam & Non-Ens suo modo est aliquid.

So-

Sophismatum.

SOPHISMA XIV.

Petrus est secundæ Declinationis.

Hoc animal est Petrus. E.

Hoc animal est secundæ declinationis.

Solutio.

Continet hoc Sophisma 4. terminos. Nam vox Petrus in Majore supponitur materialiter, in Minore verò formaliter seu significative pro ipso homine singulari, quonominatur Petrus vid. Log.

Eodem modo solvuntur sequentia.

Homo est dissyllabum.

Johannes est homo. E.

Johannes est dissyllabum. *

Amat est verbum.

Petrus amat. E.

Petrus est verbum. *

Alicubi est adverbium.

Petrus est alicubi. E.

Petrus est adverbium.

SOPHISMA XV.

Essentia divina est Pater:

Filius est Essentia divina. E.

Filius est Pater.

Solutio.

Peccat Syllogismus inde, quia non quadrat ad dictum de Omni seu illud non continet, cum Ma-

B

ior

Resolutio.

Major non sit propositio de omni. h. e. talis, qualem dictum de Omni postulat, quia nec Actu subiecto eius præpositum est hoc Complexum Omne quod est, vel quod idem est, de quo verum est dicere nec etiam præponi possit ut Major vera maneat. Si enim ipsi præponatur quod additum de Omni requiritur, evadit falsa. Unde peccat sophisma in illam i. figure Regulam, quòd Major in ea semper debeat esse Universalis, nempe non quo vis modo, sed ita, ut unum ex dictis Complexis subiecto eius præfigatur.

Sciendum igitur propositionem duplici modo posse esse Universalem vel quasi Universalem.

1. Ita ut signum Universale immediatè præponatur Nomini, aut alicui, quod stat loco Nominis, ut: Omnis homo est animal. N. homo est lapis.

2. Ut signum universale præponatur mediatè & quidem in Neutro genere mediante nimirum verbo substantivo Est, & pronomine Quod, ut omne quod est homo, est animal, Nihil quod est homo est lapis, vel, quicquid est homo est animal. Neque parum refert, utro modo propositio sit universalis: ad prioris veritatem sufficit si prædicatū verè affirmetur vel negetur de quolibet inferiori, ad posterioris autem veritatem requiritur, ut prædicatum possit affirmari vel negari de omni, de quo affirmatur subiectum, sive de eo affirmetur essentialiter & inquit, sive denominativè sive directè sive indirectè.

Diximus, quasi Universalem, illæ enim propositionis.

Sophismatum.

ditiones quarum subjectis mediate dicto modo signum universale præponitur, non semper proprie videntur esse universales, e. g. Hæc universalis non est: Omne quod est essentia divina est pater, neq; hæc: Omne quod est Petrus est rationale.

Dicimus, in neutro genere, quia tunc subjectum in plura distribuitur, quam si in Masculino aut feminino genere signum. Universale ei præponatur. Tandem ergo dicimus ad dictum de Omni & Nullo, adeoq; ad Majorem syllogismorum i. figuræ non sufficere propositionem priori modo universalem se requiri universalem posteriori modo.

Obiectio prima.

Si ad dictum de Omni requiritur, ut subjecto Majoris alterutrum ex dictis complexis sit præpositum, sequitur hunc & similes syllogismos non esse formaliter bonos, quod est absurdum:

Omnis homo est animal:

Petrus est homo. E.

Petrus est animal.

Respondeo, Negando Consequentiam. Est enim diversa ratio, cum in hoc syllogismo Major h. m. formari possit, ut tamen vera maneat, omne quod est, &c. vel de quocunq; verum est dicere, quod ad bonitatem formæ, & ad dictum de O-

Resolutio.

omni sufficit. At in sophismata 15. Major
h. m. formari nequit.

NB. Signum Universale subiecto sin-
gulari non potest præfigi immeditatâ. E.
g. omnis Petrus currit. Potest tamen illi
præfigi mediatè, quomodo illud in infe-
riora distribuit, sed eo significatur saltem
de omni eo, de quo subiectum prædica-
tur, dici etiam prædicatum, quod fieri po-
test, licet subiectum nulla habeat inferiora.
Eodem modo solvuntur sequentia.

Omnis Pater realiter differt à Filio.

Essentia divina est Pater. E.

Essentia divina realiter differt à Filio,

*Corpus Christi est crucifixum.

Panis Eucharisticus est corpus Christi.

E. Panis Eucharisticus est crucifixus.

SOPHISMA XVI.

Ex cuius ore prodit Leo, ex eius ore
prodit immane brutum.

Qui nominat Leonem, ex eius ore pro-
dit Leo, E.

Qui nominat Leonem, ex eius ore pro-
dit immane brutum.

Solutio.

Major est vera, si vox Leo in prima significatio-
ne

Sophismatum.

ne & formaliter accipitur, id est, pro re & animali quod est & dicitur Leo. At si jam in minore, prædicatum etiam isto modo sumitur, nemo illam concedit, adeoq; sunt 4. termini in prolato sophismate, orti ex *Æ*qui vocatione, quæ est in voce Leo, quæ sumitur in *Majore* Formaliter & in *Minore* materialiter.

SOPHISMA XVII.

Quicumq; sūt ex Deo, verbū Dei audiūt.

Omnes creaturæ sunt ex Deo. E.

Omnes creaturæ verbum Dei audiunt.

Solutio.

Est fallacia Amphiboliæ in phrasi ex Deo esse, quod est vel per creationem, de qua minor est vera vel per Regenerationem, de qua Major loquitur.

SOPHISMA XVIII.

Qui moriuntur sunt Domini.

Servi moriuntur. E.

Servi sunt Domini.

Solutio.

Eadem hic fallacia committitur. Nam vox Domini sumitur vel in Nominativo, vel in Genitivo Casu, unde fiunt 4. termini.

SOPHISMA XIX.

Quod Deus voluit ab æterno esse, id fuit ante sexies mille annos. Atqui Deus voluit ab æterno mundum esse. E.

Mundus fuit ante sexies mille annos.

Resolutio.

Solutio.

Committitur in hoc sophismate fallacia Compositionis & Divisionis. Particulæ (ab æterno) pertinent in Majore ad particulam, esse: in Minore autem apponuntur ad particulam, voluit & sic fiunt 4. termini.

SOPHISMA XX.

Quos digitos habuisti, dum fuisti puer, eos jam quoque habes: sed digitos tantillos habuisti dum fuisti puer, E.

Digitos tantillos jam quoque habes.

Solutio.

Committitur in hoc sophismate Fallacia Fig. Dictionis, quæ oritur ex diversorum prædicamentorum confusione. In majore enim sermo est de digitorum Substantia: in Minore de illorum Quantitate.

Eodem modo solvuntur sequentiæ.

Per quod quis ambulat, illud calcas pedibus.

Per totum diem quis ambulat. E.

Totum diem quis calcas pedibus.

*Quod pependit in cruce illud manducatur in S. coena.

Corpus Christi tangibile, visibile, &c. pependit in cruce. E.

Corpus Christi tangibile & visibile manducatur in S. Coena. Quod

Sophismatum.

*Quod emisti, illud comedisti.

Crudam carnem emisti. E.

Crudam carnem comedisti.

*Quem servum olim conduxisti, illum habes:

Servum decem annorum olim conduxisti. E.

Servum decem annorum adhuc habes.

SOPHISMA XXI.

Omnis scriptura θεόπνευτος est sufficiens ad salutem: Epistola ad Philemonem est scriptura θεόπνευτος. E. Epistola ad Philemonem est sufficiens ad salutem.

Solutio.

Sunt 4. terminis in hoc sophismate, Particula enim omnis est subiectum Majoris, vel accipitur collectivè, ita ut omnes libri Biblici fumantur: In Minore autem particula Omnis, utpote pars prædicati, omittitur. Vid. Soph. 6.

SOPHISMA XXII.

Omnis homo directè ponitur in Prædicamento.

Rationale est homo, E.

Rationale directè ponitur in prædicamento.

Solutio.

Major non est propositio de omni, quando e-

B 4

nim

Resolutio.

ñlm ita formatur. Omne quod est homo, directè
ponitur in prædicamento, fit falsa. Nam rationale,
hoc album (monstrato Petro) item, animal ratio-
nale sunt homines, nec tamen directè in prædica-
mento collocantur. Quid autem sit propositio de
omni, dictum est circa Soph. 15.

SOPHISMA XXIII.

Omne id est animal, quod est rationale,
Omne brutum est animal. E.
Omne brutum est rationale.

Solutio.

Hic Syllogismus non est in 1. fig ut videtur, sed
in secunda. Nam hæc verba (id quod est rationale)
sunt subjectum Majoris, animal autem est prædi-
catum, atq; ita syllogismus est purè affirmativus,
adeoq; in secunda vitiosus.

SOPHISMA XXIV.

Qui sunt electi, illi sunt vocati,
Pauci sunt electi. E.
Pauci sunt vocati.

Solutio.

Minor Virtualiter est negativa, nam sensus ejus
est: Non omnes sunt electi, quæ propositio acta
& formaliter est negativa.

SOPHISMA XXV.

Omnis Pater est à Deo, Eph. 3. v. 15.
Diabolus, quæ mendax, est Pater. Joh.

8. v. 43. E.

Diabo

Sophismatum

Diabolus, quâ mendax, est à Deo.

Solutio.

Sunt in hoc sophismate 5. termini. 1. Pater. 2. est à Deo 3. Diabolus 4. Pater quâ mendax est à Deo. Repetendum igitur est ex solutione primi sophismatis: In omni propositione reduplicativa, qualis est minor & Conclusio in hoc sophism. Reduplicationem esse partem prædicati, non subjecti, quod pater ex conversione, quæ ita legitime instituitur: Diabolus quâ mendax est Pater. E. Aliquis, qui, quâ mendax, est Pater, est Diabolus. Eodem modo solvuntur sequentia.

Qui sedet ad dexteram Dei, est Patri
ὁμοούσιος :

Christus quâ homo sedet dextrâ Dei. E.

Christus quâ homo est Patri *ὁμοούσιος*,

*Omni homo est substantia.

Socrates, quatenus est rationalis, est homo. E.

Socrates quatenus est rationalis, est substantia.

*Qui nos redemit, est Deus:

Christus secundum humanam naturam nos redemit. E.

Christus secundum humanam naturam est Deus.

B s

Sophis

Resolutio

SOPHISMA XXVI.

Contingit omne quod est currens esse hominem.

Contingit omne rationale esse currens.

E. Cōtingit omne rationale est hominem.

Solutio.

Syllogismus modalis Compositus suam evidentiam sortitur ex revocatione ad modalem divisum. Propositio modalis composita est, cum dictum seu totum illud, quod præter modum est, unice sustinet rationem subjecti, modus autem prædicatur de eo solus, sive ab initio, sive ac initio sive in fine ponatur, E. Gr.

Contingit omne currens esse hominē, vel.

Omne currens esse hominē contingit.

Modalis divisa est, quando dictum interposito modo dividitur, ut non amplius stet pro uno termino, sed pro duobus, subjecto nim. & prædicato. Tales propositiones modales sunt: Omne currens contingit esse hominem: vel omne currens contingenter est homo. Si igitur major allati sophism. composita in divisam mutetur, h. m. Omne currens contingenter est homo, tunc fiet falsa. Non homo est currens, qui tamen non contingenter est homo. Porro si & minor fiat divisa, h. m. Omne rationale contingenter est currens, tunc fiunt in sophism. 4. termini cum subjectum Majoris sit currens, Minoris autem prædicatum contingenter currens.

Sophis.

Sophismatum.

SOPHISMA XXVII.

Impossibile est omnem hominem esse lapidem.

Impossibile est omnem adamantem esse hominem. E.

Impossibile est omnem adamantem esse lapidem

Solutio.

Si fiant ex Modalibus eompositis propositiones modales divisæ, ut in præcedente sophismate præceptum est, ut ita modus semper apponatur prædicato. tunc semper 4. termini deprehenduntur. h. m.

Omnem hominem impossibile est esse lapidem.

Omnem adamantem impossibile est esse hominem. E.

Omnem adamantem impossibile est esse lapidem.

Eodem modo solvuntur.

Impossibile est omnes dānatos salvari.

Necesse est diabolus esse damnatos. E.

Necesse est diabolos salvari.

*Impossibile est canem loqui.

Contingit quoddam ambulans esse canem. E.

Necesse est quoddam ambulans loqui.

CAP.

Resolutio.

C A P. II.

DE SOPHISMATIBVS CIRCA MO-
dum CELARENT occurrentibus.

SOPHISMA I

Qui natus est, non est nascendus:
Omnis homo natus est. E.
Nullus homo est nascendus.

Solutio.

Si homo tam in Minore, quàm Conclusionem
supponitur accidentaliter, id est, pro eo significa-
to, pro quo ut accipiatur, patitur enunciatio, Syllo-
gismus est verus cum sermo utrobique sit de homi-
ne, qui jam existit. Sciendum igitur ex doctrina de
Suppositione quod sit suppositio Naturalis & Acci-
dentalis vid. Horn, p, 121.

Vox quæ naturaliter supponitur, dicitur aliàs
habere Amplificationem, quando accipitur pro
pluribus rebus, quàm continentur in differentia
temporis ad significati per principalem copulam
Enunciationis, seu quando accipitur pro suis signi-
ficatis ad diversa tempora dilatis.

Vox quæ accidentaliter supponitur dicitur ali-
as habere statum, quando accipitur adæquatè pro
re, quæ existit in tempore ad significato per copu-
lam principalem Enunciationis, ut:

Sedens est differens, uterque terminus accipitur
pro solis præsentibus juxta differentiam temporis
copulæ.

Sophis-

Sophismatum.

SOPHISMA II.

Nullus homo est species.

Homo præcisè sumptus seu simpliciter suppositus est homo. E.

Homo præcisè sumptus seu simpliciter suppositus non est species.

Solutio.

1. Vox homo in Majore accipitur personaliter & pro inferioribus: in Minore verò simpliciter & pro immediato significato, adeoq; sunt 4. termini.

2. Major non est propositio de Nullo, seu non habet dictum de nullo. Nam si ita formatur: Nihil quod est homo, est species, fit falsa. Postulat autem hoc dictum de Nullo ut possit propositioni hoc signum præponi, Nihil quod est.

Eodem modo solvuntur seqq

Nullum corpus est objectum Physicæ.

Corpus præcisè sumptum est corpus.

E. Corpus præcisè sumptum non est objectum Physicæ.

Item.

Nullus Pater est filius:

Essentia divina est Pater. E.

Essentia divina non est filius.

*Essentia divina non generat:

Pater est essentia divina. E.

Pater non generat.

So-

Resolutio.

SOPHISMA III.

Nullum malum est à Deo.

Cor hominis est malum. E.

Cor hominis non est à Deo.

Solutio.

Malum in Majore accipitur formaliter & in abstracto, pro ipsa malitia, est sic non est à Deo: In Minore verò sumitur materialiter & in Concreto pro re malitia affecta, seu cui malitia adhæret, adeoque sunt 4. termini in hoc Syllogismo.

SOPHISMA IV.

Currit non est nomen.

Petrus currit. E.

Petrus non est nomen.

Solutio.

Vox currit in Majore supponitur materialiter in minore vero formaliter, & sic fiunt 4. termini.

SOPHISMA V.

Nullum dissyllabum vivit.

Petrus est dissyllabum: E.

Petrus non vivit.

Solutio.

Si vox P etrus utrobique materialiter supponitur, vera est Conclusio & totus Syllogismus: si autem in Minore materialiter & in Conclusionem formaliter supponitur, sunt 4. termini in Syllogismo.

SOPHISMA VI.

Nullum animal dum dormit, vigilat.

Sophismatum.

Omnis homo est animal dum dormit.
E. Nullus homo vigilat.

Solutio.

Sunt 5. termini in hoc sophism. Nam restrictio illa (dum dormit) est pars prædicati in Majore, quod patet ex conversione, quæ h. m. est instituenda: Nullum animal, dum dormit, vigilat. E. Nihil quod dū dormit, vigilat, est animal. Vid. Sop. I. c. I.

SOPHISMA VII.

Nullum vivum est mortuum.
Omnis homo est vivus. E.
Nullus homo est mortuus.

Solutio.

Si voculæ (vivum & Homo) utrobique sumuntur accidentaliter, id est, pro ea significatione, quam patitur enunciatio, vel quod idem est, si utrobique habent statum seu sumuntur pro vivo & homine præsentem, tum legitimus & verus est syllogismus: si autem illæ voculæ sumuntur naturaliter, seu prout habent amplificationem, vitiosus est, ob 4. terminos, quos habet. vid. Sop. I. c. 2.

SOPHISMA IIX.

Nullum subjectum est prædicatum.
In omni Enunciatione est subjectum.
E. In nulla Enunciatione est prædicatum.

Solutio.

Siculus Obliqui, secundum Artis præceptum,
revo-

Resolutio.

revoentur ad Rectos, repræsentabunt se in eo s.
termini h. m.

Nullum subjectum est prædicatum.

Omnis Enunciatio est id, in quo est
subjectum. E. Nulla enunciatio, est id, in
quo est prædicatum.

Eodem modo solvuntur sequentia.

Nullum dictum est modus.

In omni Enunciatione est dictum. E.

In nulla Enunciatione modali est modus.

*Pater non est filius.

In Essentia divina est Pater. E.

In essentia divina non est filius.

Nullum malum est à Deo.

In Magistratu sunt mala. E.

Magistratus non est à Deo.

*Nullus piscis est aqua:

In mari est piscis. E.

In mari non est aqua.

SOPHISMA IX.

Nullus homo, qui est, est mortuus:

Omnis homo est homo qui est E.

Nullus homo est mortuus.

Solutio.

Sunt 5. termini in hoc soph. qui oriuntur ex
restrictione illa (Qui est) quæ pertinet ad prædi-
catum Majoris & Conclusionis.

Sophis.

Sophismatum.

SOPHISMA X.

Nullum vivens generabitur.

Omnis homo est vivens. E

Nullus homo generabitur.

Solutio.

Sunt 4. termini in hoc Sophism. quia vocula vivens in Minore habet statum, seu supponitur Accidentaliter, pro vivente, existente in præsenti: In Majori verò habet amplificationem, scilicet ad tempus præsens vel futurum propter verbum Futuri temporis, generabitur.

SOPHISMA XI.

Nullum rationale est lapis.

Omne animal, præter brutum, est rationale. E.

Nullum animal, præter brutum, est lapis.

Solutio.

Sunt 5. termini in hoc sophismate propter particulam exceptivam (præter brutum) quæ pertinet ad prædicatum.

Cap. III.

CONTINENS ENODATIONEM SOPHISMATUM CIRCA DARI OCCURRENTIUM.

SOPHISMA. I.

OMnis Philosophus est necessariò doctus:

Quidam homo est Philosophus. E.

C

Qui

Quidam homo est necessariò doctus.

Solutio.

Major potest duplicem habere sensum: Compositum seu formalem, & divisum seu materiale. Sensus Compositus est, quando concretum formaliter acceptum tribuitur alii concreto itidem formaliter accepto, ut si dicam, album potest esse nigrum, & intelligam de albo, ut album est, & ut manet album, & hoc sensu isto propositio est falsa quia contraria, non possunt tribui simul eid. subjecto. Sensus divisus est, quando Concretum formaliter sumptum tribuitur concreto materialiter sumpto, & tunc sensus illius propositionis. Album potest esse nigrum, est, quod res quæ jam habet albedinem, v.g. paries vel lignum &c. Possit esse nigra & quidem alio tempore, & sic vera est propositio. In sensu igitur Composito Major alati philosophismatis est vera. Sensus enim ejus est hic: omnis Philosophus est necessariò doctus, quatenus est Philosophus, seu posito quod sit Philosophus, quod verum, quia sine ræ doctum esse non potest concipi Philosophus ut talis. Ergo doctum esse competit ipsi necessariò. In sensu aut. divisio Major est falsa, quia modificatû prædicatû, necessariò doctus, respexit subjecti materiale, seu tribuitur ipsi secundum materiale, non secundum formale, ut in sensu composito. Si verò Majorem quis velit intelligere in sensu composito, & cû restrictione (quatenus talis) Conclusionem autem in sensu divisio, & sine illa restrictione, quomodo illa falsa est. Majore tamen in sensu compositio intellecta existente vera,

Sophismatum.

re vera, tunc syllogismus non est legitimus, sed oritur Fallacia Compositionis & divisionis.

SOPHISMA II

Qui sanabatur est sanus.

Ægrotus sanabatur, E.

Ægrotus est sanus.

Solutio.

Vox Ægrotus in Minore sumitur naturaliter, seu ut habet ampliationem, vel extenditur ad tempus præsens ac præteritum: Si igitur in Conclusionem eodem modo sumitur, Syllogismus est bonus: hic autem in conclusionem vox Ægrotus habet statum, seu supponitur accidentaliter, pro eo qui jam est ægrotus, syllogismus est falsus, quia adsunt 4. termini.

SOPHISMA III.

Nullus homo est universale.

Aliqua species est homo, E

Aliqua species est universale.

Solutio.

Sunt 4. termini in hoc sophismate, nam homo in Majore supponitur personaliter, & pro inferioribus: In Minore verò simpliciter pro immediato suo significato. Secundò responderi potest, quod Major propositio non quadret ad dictum de Nullo. Sic enim formata: Nihil quod est homo, est species, fit falsa.

C 2

So.

Resolutio.

SOPHISMA. IV.

Omne mortuum est Non-Ens.

Quidam homo est mortuus. E.

Quidam homo est Non-Ens.

Solutio.

Vox homo in Minore supponitur naturaliter, seu ut habet amplificationem, in Conclusionem verò supponitur accidentaliter, seu habet statum, adeoque sunt 4. termini.

SOPHISMA V.

Omne Nomen est vox.

Socrates est nomen. E.

Socrates est vox.

Solutio.

Si vox Socrates utrobique sumitur materialiter, Syllogismus, bonus ac verus est.

SOPHISMA VI.

In omni Enunciatione est subjectum.

Prædicatum est in omni Enunciatione.

E. Prædicatum est subjectum.

Solutio.

Constat hic Syllogismus terminis obliquis, qui si ad casus rectos revocantur, fiunt 4. termini,

SOPHISMA VII.

Hominem esse animal, necessarium est:

Hominem esse equum, est hominem esse animal. E.

Ho-

Sophismatum.

Hominem esse equum, necessarium
est.

Solutio.

Vox animal in Majore sumitur indeterminatè:
In minore verò determinatè & sic 4. termini.

Cap. IV.

CONTINENS ENODATIONEM SOPHIS-
matum circa FERIO occurrentium.

SOPHISMA I.

Quicumq; vident, non sunt cœci:
Cœci vident Matth. II. E.
Cœci non sunt cœci.

Solutio.

Vox Cœci in majore habet statum in Minore
verò ampliationem, adeoq; sunt 4. termini.

SOPHISMA II.

Nullum dextrum est sinistrum.
Alicujus hominis manus est dextra. E.
Alicujus hominis manus est sinistra.

Solutio.

Minor formaliter non est particularis, sed inde-
finita, cum signum particulare in subj. non casui
directo sed obliquo addatur, æquipollet igitur ma-
terialiter particulari, nempe huic: hominis ali-
qua manus est dextra. Ergo ita debet concludi,
hominis aliqua manus non est sinistra.

SOPHISMA III

Nulla anima constat ex materia In

Resolutio.

In aliquo corpore naturali est anima.
E. Aliquod corpus naturale non constat ex materia.

Solutio.

Si termini obliqui reducantur ad rectos, patet
4. esse terminos.

SOPHISMA IV.

Nullus generandus est homo.
Aliquis homo est generandus. E.
Aliquis homo non est homo.

Solutio.

Vox homo in Majore sumitur accidentaliter, seu pro homine actu existente; in minore verò naturaliter pro eo, qui erit homo, sunt igitur 4. termini in Sophismatum.

Cap. V.

CONTINENS ENODATIONEM SOPHISMATUM II. Fig. & quidem circa CAESARE
occurrentium.

SOPHISMA I.

Nihil in mundo videtur.
Dominus respondens videtur. E.
Dominus Respondens est nihil.

Solutio.

Nihil est vox æquivoca. Interdum idem est ac nullum Ens, seu nullares, interdum id, ac non Ens. Si in Majore vox nihil sumitur pro Non-Ente, tum

et

Sophismatum.

& Major falsa est & syllogismus vitiosus in forma; cum sit ex puris affirmativis in secunda figura. Si verò in Majore sumatur pro Nullo Ente, tunc vera est, quia quod videtur, non videtur in mundo, sed in oculo, & sic negatur Minor quæ ita debet habere. Dominus Respondens videtur in mundo. Deniq; si in Majore sumatur pro nullo Ente & in Conclusionem pro non-Ente, sunt plures termini quàm res, propter vocis ambiguitatem. Inde h. m. aliud etiam adest vitium in forma, cum sic Conclusio sit affirmativa Majore existente negante.

SOPHISMA II.

Nulla propositio est vera, quando est falsa.

Omnis propositio impossibilis est falsa.

E. Nulla propositio impossibilis est Propositio.

Solutio.

Sunt 4. termini in hoc soph. alius enim terminus est, quando est falsa, alius, falsa.

SOPHISMA III.

Quicquid non est animal, nõ est homo.

Petrus est homo. E.

Petrus non est animal.

Solutio.

Conclusio non rectè inferitur in allato soph. sed sic debet inferri: Ergo Petrus non est is, quæ non est animal.

Resolutio.

SOPHISMATA in CAMESTRES.

Qui non credunt, damnantur:

Pii non damnantur. E.

Pii non credunt.

Solutio.

Conclusio sic debet inferri. E. Pii non sunt n.,
quinon credunt.

SOPHISMA IV.

Homo est solus animal rationale:

Johannes non est solus animal ratio-
nale. E.

Johannes non est homo.

Solutio.

Breviter respondent plerique quod Major alla-
ti soph. non sit Universalis.

SOPHISMA V.

Omne mortuum est non-Ens.

Nullus homo est Non-Ens. E.

Nullus homo est mortuus.

Solutio.

Vox homo in Minore habet statum & accipitur
pro homine existente: in Conclusionem autem ha-
bet ampliationem & sumitur pro eo qui est vel fu-
it homo & sic sunt 4. termini. Si autem tam in Mi-
nore quàm Conclusionem accipiatur pro homine
existente, Conclusio est vera hoc sensu: Nullus
qui est homo, est mortuus, ac totus Syllogismus
est legitimus. So.

Sophismatum.

SOPHISMA VI.

Generatio est mutatio à nō esse ad esse.

Divina generatio non est mutatio à nō esse ad esse. E.

Divina generatio non est generatio.

Solutio.

Distinguendum est inter generationem naturalem & supernaturalem. Major allati sophismatis valet de prædicamentibus saltem rebus & Physicis; à quibus ad res mysticas argumentari velle, inconvenientissimum est.

SOPHISMA VII.

Causa est quæ per se influit esse in aliud:

Causa formalis non est quæ per se influit esse in aliud. E.

Causa formalis non est Causa.

Solutio.

Vox causa in Majore sumitur in genere, & præcisè seu in sua latitudine pro ut nimirum abstrahit à 4. causarum generibus. In Majore enim ponitur definitio causæ in genere: si etiam h. m. in Conclusionem accipiatur, ea est verissima. Sensus enim ejus est: Causa formalis non est causa præcisè in genere seu in latitudine accepta, quod est verissimum.

SOPHISMA VIII.

Filius Dei verè est mortuus.

Divina natura non est verè mortua. E.

C 5

Divina

Resolutio.

Divina natura non est filius Dei.

Solutio.

Peccat hic Syllogismus contra dictam de Omni & Nullo. Major enim ita formata : Omne quod est Filius Dei verè est mortuum. Minor verò ita: Nihil quod est divina natura est verè mortuum, sic falsa.

SOPHISMA IX.

In omni mari est piscis.

Nulla arena est piscis. E.

Nulla arena est in mari.

Solutio.

Continet hoc soph. s. terminos, quod patet quando casus obliqui in rectos mutantur.

SOPHISMA in FESTINO.

Nullus puer est senex.

Quidam puer est factus senex. E.

Quidam, qui factus est senex, non est senex.

Solutio.

Vox puer in Maggiore habet statum seu supponitur accidentaliter pro puero nunc existente : in Minore verò habet ampliationem & accipitur pro eo, qui est vel fuit puer. Si verò vocem puer in utraq; propositione quis vellet accipere amplè, ita ut sensus Maioris sit hic : Nullus qui est vel fuit puer est senex, ipsa esset falsa: si denique in utraq; vocem illam quis vellet accipere pro puero existè-

te

Sophismatum.

te, Minor esset falsa quia sensus ejus esset : quidā
qui est puer factus est senex.

Cap. VI.

CONTINENS ENODATIONEM SOPHIS-
matum in III. FIGURA CIRCA DARAPTI.

SOPHISMA I.

OMnis homo Physicus est sciens :
Omnis homo Physicus est animal. E.
Quoddam animal est sciens.

Conclusio contingens sequi videtur
ex præmissis necessariis, quod est vitiosū.

Solutio.

Major dupliciter accipi potest 1. In sensu Com-
posito. 2. In sensu diviso. In sensu Composito Ma-
jor est necessaria : cum sensus ejus sit : omnis ho-
mo Physicus, posito quod sit Physicus seu quate-
nus est Physicus, est sciens : si igitur Conclusio sine
ista restrictione intelligitur, tunc sunt 4. termini.
In sensu autem diviso si Major accipiatur, id est si
scientia tribuatur Physico saltem quo ad materia-
le, & ut homo est, non quatenus est Physicus, ipsa
necessaria non est, adeoque non omni tempore ve-
ra : necessarium igitur non est Conclusionem o-
mni tempore esse veram.

SOPHISMA II.

Fides sine operibus justificat.

Fides sine operibus est res mortua. E.

Res mortua justificat.

Solutio.

Resolutio.

Solutio.

Committitur in hoc sophis. Fallacia Compositio-
tionis ac divisionis. Nam in Minore componitur
aliquid scilicet (sine operibus) cum subjecto, quod
in Majore pertinet ad prædicatum, adeoque fiunt
5. termini.

SOPHISMA III.

Hic canis est Pater.

Hic canis est tuus. E.

Tuus Pater.

Solutio.

Conclusio non rectè infertur: Nam Syllogis-
mus est legitimus, si Conclusio ita ut debet, infe-
ratur. E. Quoddam quod est tuum, est Pater.

SOPHISMA IV.

Qui dicit animam rationalem esse De-
um, falsum dicit.

Qui dicit animam rationalem esse De-
um, ille dicit esse spiritum. E.

Quidam qui dicit Deum esse spiritum.
falsum dicit.

Solutio

Minor est vera saltem h. m. Qui dicit animam
rationalem esse Deum, dicit esse spiritum, saltem
confusè & implicite, quomodo & conclusio vera
esse videtur. E. Quidam qui dicit Deum esse spiri-
tum implicite & inconfusè vel indeterminatè, ille
falsum dicit.

So

Sophismatum.

SOPHISMA V.

Conradus est secundæ declinationis.

Conradus est hoc animal. E.

Hoc animal est secundæ declinationis.

Solutio.

Sunt 4. termini in hoc soph. Quia Conradus in Majore sumitur materialiter, in Minore formaliter.

SOPHISMA VI.

In Allera est piscis.

In Allera est arena. E.

Arena est piscis.

Solutio.

Si termino obliqui ad rectos revocentur, vitium evadet manifestum. h. m. Allera est id in quo est piscis. Allera est id in quo est arena. E. In aliquo in quo est arena est piscis. Unde patet in isto Syllogismo & similibus esse 5. terminos.

SOPHISMA VII.

Hujus hominis oculus est dexter.

Hujus hominis oculus est sinister. E.

Quoddam sinistrum est dextrum.

Solutio.

Peccat Syllogismus exinde, quia utraque præmissarum est indefinita.

Circa

posi-
nitur
quod
fiunt

ogil-
infe.

De-

De-

um.

mam

Item

vera

spiri-

è, ille

So-

Resolutio.

Circa modum FELAPTON.

Hæc res (Piscis) non est aqua:

Hæc res est fluvio. E.

In fluvio non est aqua.

Solutio.

Prædicatum Minoris non sunt saltem hæc verba: in fluvio (nullus enim casus obliquus per se & solitarie subjectum aut prædicatum propositionis constituit) sed subintelligitur participium existens, ut sit sensus: hæc res est existens in fluvio: sic igitur Conclusio debet inferri. E. Quoddam existens in fluvio nō est aqua, vel quoddam quod est in fluvio, non est aqua.

SOPHISMA VIII.

Nullus homo est genus.

Omnis homo est animal. E.

Quoddam animal non est genus.


Sunt 4. termini in Syllogismo, quia vox

homo in Majore sumitur personali-

ter, in Minore simpli-

citer.

AP.



APPENDIX.

*Continens Sophismata Conditionalia &
Disjunctiva.*

SOPHISMA I.

S hoc animal nō est brutum, est homo :
Si hoc animal est planta, non est
brutum. E.

Si hoc animal est planta est homo.

Solutio.

Subsumptio non fit legitimè. Ante-
cedens enim Majoris in Minore mutilatè
repetitur : sed ita debet subsumi : si hæc
planta est animal, est brutum. Jam minor
est falsa. Quod autem ita subsumi debeat
manifestum evadit, quando hic Syllogis-
mus i. fig. mutatur h. m.

Omne animal quod non est brutum,
est homo :

Omne animal quod est planta non est
brutum. E.

Omne animal quod est planta est homo.

Non

calcecalcecalce

Non rectè subsumitur ut patet, quia
Medius terminus vel subjectum Majoris
repetitur mutilatè: sit igitur debet sub-
sumi: omne animal quod est planta, est
animal quod non est brutum, quo modo
minor etiam est falsa.

SOPHISMA II.

Non si Johannes est animal, est lupus:
Sed Johannes non est lupus. E.
Johannes non est animal.

Solutio.

1. Ex puris Negativis nihil legitimè se-
quitur.

2. Major in Syllogismo Conditionali
non debet esse negans.

SOPHISMA *Disjunctivum.*

Aut sedes aut non sedes:

Sed sedes. E.

Non sedes.

Solutio.

Conclusio non rectè infertur, sed ita in-
ferri debet. E. non es is, qui
non sedet.

F I N I S.

Q 1833 3

ULB Halle


3


005 307 007



1017







B.I.G.

Farbkarte #13

M. DANIELIS
STAHLII

Hamelburgensis Franci,

TRACTATUS
LOGICUS

Continens

SOPHISMATUM,

Seu

SYLLOGISMORUM

in forma vitiosorum reso-
lutionem.



FRANCOFVRTI,

M DCL II.

3.
2

7459

